



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, M. DCC. XIX.

Casus II. Argumentum. Am Imperatrices, & Reginæ introduci possint à
Patrono in Domus, & Monasteria Cisterciensium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

- 8 liandus, & privandus à supradictis Monachis absque justa, & rationabili causa, dum retentio dicti scamni pro Patrono, & tota ejus familia prope Altare majus, non est incommoda, nec præjudicialis Ecclesiæ, neque impeditiva functionum Ecclesiasticarum. *Paris. conf. 149. num. 2. & seq. lib. 4. Lara de Annivers. & Cappell. lib. 1. cap. 24. num. 12. Lagunez. de fructibus par. 1. cap. 30. §. 1. n. 29. & seq. Antonell. de loco legal. lib. 1. cap. 3. n. 55. Pignatell. tom. 7. consult. 48. n. 1.* Etiam in hypo-
- 9 tesi, quod retentio ex causa facultativa processerit; nam licet concessio fuisset, ab initio gratuita, ex post tamen effecta fuit necessaria, & irrevocabilis. *Roma-guer. ad Synod. Gerunden. lib. 3. tit. 14. cap. 2. num. 6. Giovagnon. d. conf. 8. n. 18. & seqq. Gratian. discept. forens. 110. n. 18. & seq., & alii in dicta Baren. scamni 4. Junii 1703. §. De jure cor. R.P.D. de Omaña.*
- 10 Potest etiam idem Patronus exigere à Cisterciensibus, quod sibi notificentur omnes luitiones censuum spectantium ad eorum Monasterium, quod propriis sumptibus ædificavit, & dotavit, ac etiam, quod sibi consignetur notula Instrumentorum, & jurium concernentium dotem ejusdem Monasterii; quia Patronus habet jus defendendi Ecclesias, & Monasteria Patrimonialia, ut dixi *Par. I. Can. IV.*, & curare debet, ut eorum bona conferventur, non dilapidentur, neque alienentur; ut in similibus terminis rescripsit *Rota in Barchinonen. Beneficiorum 30. Junii 1704. §. final. cor. R.P.D. Omaña.*
- 11 Sicuti posset exigere ab eisdem Cisterciensibus alimenta in casu inopiæ, deductis prius necessariis pro Monasterii, ac Monachorum sustentatione, & pro Divino Cultu, & reparatione Ecclesiæ, juxta firmata *Par. I. Can. III.* & tradit *Tamburin. de jure Abbat. tom. 1. disput. 7. quest. 5. n. 22.*
- 12 Ac etiam ab eisdem exigere, ut Missam offerre teneantur quotidie, si fieri potest, pro Animabus Patronorum defunctorum; quod Patroni tam vivi, quàm Defuncti participes fiant spiritualis fructus, quem dicti Religiosi orando, jejunando, aliæque pia opera tam communia, quàm particularia exercendo apud Deum lucrantur; quod postquam fuerit facta electio Ministrorum Monasterii, debet eam significare Patrono pro tempore, ad

effectum, ut si voluerit, suum honestum impartiat assensum, juxta dispositionem Sacrorum Canonum; dummodo hujusmodi conditiones in limine foundationis Monasterii fuissent à Fundatore appositæ, & à Sede Apostolica approbatæ; uti de facto approbatæ fuerunt ab Alexandro VII. de voto Sacræ Congregationis Concilii, in limine foundationis trium Conventuum Fratrum Congregationis Hispaniæ Ordinis B. Mariæ de Mercede Provinciæ Andalusie favore Ducum Medinæ Sidoniæ, ut apparet ex ejus Constitutione la 66. *Bullar. Rom. tom. V.*

Quin ullatenus obest eidem Patrono præsens Canon; quia Gregorius ibi non prohibuit exigere à Cisterciensibus, ea quæ de jure competunt Patronis, ratione Jurispatronatus, sed solum ea, quæ pro libito, occasione, & non ratione jurispatronatus, indebitè ab ipsis extorquebant, nimirum bladum, vinum, eveditiones, Animalia, & res alias pro ædificatione, ac munitione, suorum Castrorum, & Villarum, ac pro tyrociniis, torneamentis, expeditionibus, & aliis usibus eorundem Patronorum.

ARGUMENTUM.

An Imperatrices, & Reginae introduci possint à Patrono in Domus, & Monasteria Cisterciensium.

SUMMARIUM.

- 1 Mulieribus est prohibitum ingredi Domos, & Monasteria Virorum, etiam si essent Fundatrices, ut num. 2. Limita, ut ibi.
- 3 Viris est prohibitum ingredi Monasteria Monialium, etiam si essent Fundatores; & n. 4. Limita, ut ibi.
- 5 Patronus introducere Potest in Domus, & Monasteria Cisterciensium Reginas, & alias Personas Regias. Et quare, vide n. 7.
- 6 Pontifex prohibendo Patronis introducere Fæminas in Domus Cisterciensium, intelligitur de illis Domibus, quæ sunt intrâ

tra, non verò extra Claustra Monasterii.
 8 Concedi solet à Sede Apostolica Fundatrici-
 bus Monasteriorum Monialium præser-
 tim Nobilibus facultas ingrediendi cum
 honesto comitatu Clausuram eorundem
 Monasteriorum certis anni temporibus.

C A S U S II.

Quidam Princeps Supremus Patro-
 nus Monasterii A Ordinis Cister-
 censis introduxit Reginam cum to-
 ta ejus comitiva in quadam eorum Do-
 mo contigua Monasterio, ad effectum vi-
 dendì Corpus cujusdam Sancti, quod in
 Cappella ibi situata servabatur; Queritur
 an id fieri potuerit per Patronum?

- 1 Videtur negativè respondendum, quo-
 niam prohibitus est ingressus Mulierum
 in Monasteria Virorum non solum ex
 censura hujus *Canonis* specialiter respectu
 Monachorum Cistercensium, verum
 etiam generaliter respectu cujuscumque
 Ordinis etiam sub pœna excõmunicatio-
 nis ex Constitutione Divi Pii V. incipien-
Regularium Personarum, in qua prohibe-
 tur mulieribus cujuscumque status, gra-
 dus, conditionis etiam Comitissis, Mar-
 chionissis, Ducissis Domos, & Monaste-
 ria Regularium ingredi, quam refert *Roderic. quest. regul. tom. 1. quest. 48. art. 1.*,
 & est communis omnium Doctorum sen-
 tentia, præsertim ipsius *Roderici ubi su-
 pra; Lezan. in sum. tom. 1. cap. 10. n. 9.*
Barbos. de offic. & potest. Episcopi par. 3.
 2 *alleg. 102. n. 85.* Quod procedit etiam si
 mulieres essent Fundatrices dictorum
 Monasteriorum, nisi aliter fuerit statutum
 de consensu Summi Pontificis in limine
 foundationis, aut erectionis, juxta *Passerin.*
*in cap. periculoso de stat. Regul. n. 124. Le-
 zan. ubi supra n. 10.*
- 3 Sicuti è contra pari ratione est etiam
 prohibitus ingressus virorum in Monaste-
 ria Mulierum, seu Monialium, ut expres-
 sè disponitur *in cap. periculoso de stat. Re-
 gul. in 6. ibiq. Monach. Archid. Ancharan.*
Passerin. num. 97. & seqq., & confirmavit
 Concilium Tridentinum *sess. 25. de Regul.*
 4 *cap. 5.*, etiam si essent Fundatores eorum-
 dem Monasteriorum, nisi in Literis Apo-
 stolicis erectionis secus expressè cavea-
 tur; & etiam si essent Imperatores, & Re-
 ges *Passerin. ubi supra num. 122. Nicol. in*

*Floscul. verb. fundator n. 2. Barbos. ad Con-
 cil. sess. 25. de Regul. cap. 5. n. 48.*

- 5 Sed hoc non obstante censoo dicen-
 dum in hoc casu Patronum introducere
 potuisse Reginam in præfata Domo Ci-
 sterciensium, nec per hujusmodi introdu-
 ctionem contravenisse dispositioni hujus
 6 *Canonis*; quia in primis Pontifex prohi-
 bendo hic Patronis introducere Fœmi-
 nas in Domibus Cistercensium, intelli-
 gitur de illis Domibus, quæ sunt intrà
 septa, & Claustra Monasterii, non verò
 de eis, quæ sunt extra Claustra, uti est
 hæc, de qua agitur. *Passerin. ubi supra*
num. 8. Ventrigl. in prax. par. 1. annot. 5.
§. 1. num. 2. Lezan. in sum. tom. 1. cap. 10.
n. 11. Barbos. de offic. & potest. Episcop. p. 3.
alleg. 102. n. 87.
- 7 Deindè in hujusmodi prohibitione
 numquam præsumitur comprehendere
 voluisse Fœminas Regias, quæ propter
 earum sublimitatem, ac generis clarita-
 tem cum sint dignæ specialis mentionis,
 in materia odiosa non veniunt sub simpli-
 ci, & generali nomine mulierum; Et re-
 vera quod non sit prohibitum his Perso-
 nis Regiis modeste, tamen, ac devotè
 ingredi Monasteria virorum declaratum
 fuit per Gregorium XIII. ex Sententia
 Sacræ Congregationis Concilii ad in-
 stantiam cujusdam Religiosi Ordinis Mi-
 nimorum S. Francisci de Paula; cui quæ-
 renti, an per supradictam Constitutio-
 nem Pii V. censeretur derogatum suæ
 Regulæ, ut singulæ Dominæ de stirpe
 Regia procreatæ, ac etiam omnes hujus
 Ordinis Fundatrices, quæ locorum ejus-
 dem Ordinis septa communiora videre
 postulaverint, eadem honestè cum sua
 Comitiva intrare, ac devotè visitare to-
 lerentur, fuit responsum; non censeretur de-
 rogatum quoad Reginas, vel Fundatrices
dumtaxat, ut referunt *Roderic. quest. re-
 gul. tom. 1. dicta quest. 48. art. 1. §. Circa.*
*Barbos. de offic. & potest. Episcopi par. 3. al-
 leg. 102. n. 96.* Et hanc sententiam tuen-
 tur idem *Barbos. ubi supra n. 92. Lezan. in*
sum. tom. 1. dicto cap. 10. n. 10., ibi = *Idem*
dico de Imperatricibus, aut Reginis saltè
quando intrant Monasteria non occultè, sed
magno Comitatu, & ex bono fine, cum enim
Pontifices non fecerint in prædictis Bullis
mentionem de illis, credendum est noluisse
ipsas comprehendere = .

Et

8 Et quidem talis, ac tanta est prerogativa Fundatorum, & Fundatricum Monasteriorum praesertim nobilium, & illustrium, ut ipsis petentibus in limine foundationis facultatem ingrediendi certis anni temporibus eadem Monasteria cum honesto comitatu, hujusmodi facultas pro similibus personis nobilibus, & illustribus concedi solet à. S. Sede Apostolica, uti de facto novissimè concessa fuit à S. Congregatione Concilii in *Magdalenen. 22. Aprilis 1719.* ubi cum inter caetera peteret Ducissa Carlotta occasione foundationis Monasterii pro virginibus Deo dicandis in Oppido Magdaluni,

quod sibi, & Ducissis in futurum, semel obtenta licentia Sedis Apostolicae, liceret ingredi clausuram Monialium duodecies per annum, & cum competenti aliarum nobilium, vel honestarum foeminarum numero, fuit à Sac. Congregatione rescriptum, pro facultate ingrediendi per sex vices quolibet anno, & cum Comitatu sex Matronarum, quo ad Ducissam Carlottam, & quo ad alias in Ducatu succedentes, pro facultate ingrediendi, per tres vices quolibet anno, & cum tribus tantum Matronis, servata in reliquis forma aliarum clausularum, quae in consimilibus Brevibus pro ingressu in Monasteriis apponi solent.

C A N O N I I.

NICOLAUS QUINTUS *Constit. I. §. 4. Bull. Rom. Tom. I.*

AD Sacram Petri Sedem Divina dispositione sublimati: Ann. 1447.
 Et infra: Placet etiam nobis, quod per quamcumque aliam reservationem, gratiam, expectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacumque verborum forma, per nos, vel auctoritate nostra factam, vel faciendam non impediamus nos, quo minus de illis cum vacabunt de Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris mensibus, liberè disponatur per illos, ad quos eorum collatio, provisio, praesentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinebat: Reservatione, aliave quavis dispositione, auctoritate nostra factis, vel faciendis, non obstantibus quibuscumque. Quoties verò aliquo vacante Beneficio in Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, & Novembris mensibus specialiter dispositioni dictæ Sedis reservatis, non apparuerit infra tres menses à die notæ vacationis in loco Beneficii, quod alicui de illo Apostolica auctoritate provisum fuerit, ex tunc, & non antea Ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo liberè disponere poterit, & ad finem, ut hæc ordinatio collationum Beneficiorum non reservatorum per alternos menses possit per dictam Nationem publicari, & omnes, qui ea gaudere voluerint, tempus congruum habeant